



LIBRARY  
OF THE  
UNIVERSITY OF ILLINOIS

# Dissertatio

de

Auli Gellii vitae temporibus

qua orationes

ad celebrandam memoriam virorum illustrium

## **Jacobi Friderici a Rhod Friderici a Groeben Joh. Dieterici a Tettau**

diebus XXI et XXII Maji et XXIII Junii

h. s.

in auditorio maximo habendas

indicit

**Ludovicus Friedlaender**

P. P. O.

die XII Maji.

---

Regimonti Prussorum.

Typis Academicis Dalkowskianis.

1-1-1968

1-1-1968

1-1-1968

1-1-1968

**D**e Auli Gellii vitae temporibus post alios accurate egit Baehrius in dissertatione, quae, ut nuper facete dixit homo doctus, in ingentibus illis Erschii et Gruberi catacumbis sepulta est. Ubi quum multa recte observata esse videantur, sunt tamen quae Baehrius ad definitionem temporum adhibere neglexerit, sunt etiam quae aliter definienda esse censeam.

Quo tempore Gellius adolescens in scholis fuit XVI 1 et ad grammaticos itavit VII 6, Terentius Scaurus, divi Hadriani temporibus grammaticus vel nobilissimus (XI 15) et Hadriani ut videtur praeceptor (vit. L. Veri c. 2) jam mortuus fuit; nam de loco in ejus libro non intellecto Gellio Sulpicius Apollinaris rogandus fuit, quem adolescens (adolescensculus XX 6) sectabatur discendi gratia, hominem memoriae nostrae, ut ait, doctissimum XIII 18. Jam hic igitur monemur, adolescentiam Gellii non in Hadriani quem ubique Divum appellat, sed in Antonini Pii aetatem incidisse.

Apollinarem Sulpicium sectatus esse videtur inde ab anno aetatis septimo decimo vel duodevicesimo; nam ad eum se applicuit, cum jam adolescentulus praetextam et puerilem togam mutasset magistrosque tunc sibi ipse exploratiores quaereret XVIII 4; quae mutatio inter annum aetatis XV et XVII fieri solebat (Marquardt. *Enchirid.* V 1, 135) In hac disciplina Gellius esse coeperat inter annos p. C. 146 et 150. Nam adolescens Romae, cum etiam tum ad grammaticos itaret, audivit Apollinarem Sulpicium, quem in primis sectabatur — Erucio Claro praefecto urbi, dicere etc. VII 6. Videtur autem Erucius Clarus (de quo cf. etiam Plin. *epp.* II 9 Fronto ed. Naber p. 6) praefectus urbi post alterum suum consulatum (146) factus esse, quae etiam Corsinii sententia est. Etenim XIII 18 Gellius Apollinarem dicit eidem Erucio Claro,

qui praefectus urbi et bis consul fuit, de loco quodam Catonis rescripsisse se praesente; (nam id temporis inquit ego adulescens Romae sectabar eum discendi gratia); alioquin opinor dixisset: qui postea iterum consul fuit vel tale quid. Quod si quaerimus, quando Gellius natus esse videatur, deferimur ad a. p. C. fere 130, non ut Baehrius l. l. p. 48<sup>b</sup> ad a. p. C. 140. His eisdem annis etiam rhetores Antonium Julianum et T. Castricium frequentabat. Hic, quem Fronto ad amic. II 2 ed. N. p. 190 nostrum appellat, vir a D. Hadriano in mores atque litteras spectatus, Romae locum principem habuit declamandi ac docendi XIII 22; sed etiam ille docendis publice juvenibus magister fuit XIX 9. Adulescentulum se illo tempore fuisse disertum dicit XVIII 9, ubi narrat se cum magistro et condiscipulis Puteolis ferias aestivas egisse. Praeterea jam tum consuetudo ei cum Frontone erat XIX 8: Adulescentulum Romae priusquam Athenas concederem, quando erat a magistris auditionibusque obeundis otium ad Frontonem Cornelium visendi gratia pergebam. Etiam consuetudo cum Anniano poeta (XI 7 IX 10 qui in fundo suo quem in agro Falisco possidebat vindemiam agitare solebat XX 8) huic tempori videtur assignanda esse; si quidem Annianus Valerium Probum audivit, quem sub Nerone vixisse constat, etsi ad Domitiani tempora vitam produxisse verisimile est (Jahn Proll. ad Pers. p. CXXXVII). Num jam illo tempore in Juli Paulli poetae familiaritate fuerit, quem identidem hominem in memoria nostra doctissimum appellat (I 22 V 4 XVI 10) incertum est. Hic vir bonus et rerum litterarumque veterum impense doctus in herediolum quod in agro Vaticano possidebat, Gellium cum Julio Celsino Numida iuvitabat (XIX 7) item Frontonis amico (XIX 10).

Si Gellium duodevicesimum fere annum agentem in disciplinam Apollinaris sese tradidisse sumimus, videtur apud hos magistros septem fere annos versatus esse, nam quum ex angulis secretisque librorum ac magistrorum in medium jam hominum et in lucem fori prodiret XIII 13 (ubi se studio juris civilis operam dedisse significat), statim a praetoribus lectus in iudices esse videtur, ut iudicia quae appellantur privata susciperet: eo tempore dicit se hominem adulescentem fuisse a poetarum fabulis et a rhetorum epilogis ad iudicandas lites vocatum.

Quum autem minores XXV annis ad judicia non admitterentur (D. XLII 1, 57. L 4, 8), Gellii nomen, simulatque hanc aetatem expleverit, statim in albo iudicium inscriptum esse putabimus.

De rebus ad jus civile pertinentibus non modo ICtos eorumque libros consulebat, sed etiam grammaticos cf. XX 10, ubi a grammatico adulescens appellatur. Eodem tempore Favorinum plurimum sectabatur (ib.) i. e. si nostra computatio vera est c. a. 155. In annos proxime sequentes igitur omnia cadent, quae de consuetudine sua cum Favorino (de qua nuperrime dixit M. Hertzius Ind. lect. aest. Vratisl. h. a.) narrat: velut se cum eo ad Frontonem visum ivisse II 26, Domitio Insano grammatico occurrisset XVIII 7, apud balneas Titias III 1, vel in area fori Trajani ambulasse XIII 25, Ostiae fuisse XVIII 1, in villa Antiate XVII 10.

Quum autem dicit Favorinum salutationem Caesaris opperientem in circulo doctorum hominum constituisse, (IV 1 et XX 1, ubi Sex. Caecilus ICtus primas partes agit), apparet hoc ante a. 161 accidisse quo anno Antoninus Pius mortuus est et duo Augusti ad imperium accesserunt. Sulpicius Apollinaris etiamtum in vivis erat, nam eum percontatus est de sensu verborum „intra Kalendas“, cum Romae a consulibus iudex extra ordinem datus esset XII 13.

Quem ubi dicit cum Frontone et Festo Postumio (oratore Numida, Fronto ad amic. II 10 ed. Naber p. 200) in vestibulo Palatii fabulantes stetisse (XIX 13), de eodem tempore cogitandum erit. Nam his ipsis annis Apollinaris obiisse videtur. Helvius enim Pertinax, qui postea imperator fuit, natus a. 126, eo magistro usus est: post quem idem Pertinax grammaticen professus est vit. Pert. c. 1; ubi post quem non aliter intellegi posse arbitror nisi post ejus mortem. Pertinax autem cum in grammaticae minus quaestus proficeret, centurionatum petiit et nactus est, deinde praefectus cohortis in Syria fuit, deinde bello Parthico industria sua promeritus est, quod a. 163 coeptum esse constat; aliquot igitur annis ante a. 163 Apollinarem decessisse apparet.

Etiam disciplinae dialecticae hoc eodem tempore Gellius videtur operam dedisse cf. XVI 8, ubi de libro Aelii Stilonis in Pacis bibliotheca a se reperto loquitur.

Novissimo fortasse Antonini Pii anno Athenas ad capiendum ingenii cultum concessit I 2, Herodi Attico, viro consulari honore praedito (ib. cos. fuit 143) fortasse ut Baehrius suspicatus est, per Favorinum commendatus. Con-

stat certe Athenis Gellium commoratum esse ante Peregrini Protei mortem (165 p. C.), quem se vidisse dicit quum Athenis esset XII 11 et audivisse VIII 3. Calvisius autem Taurus Berytensis quo magistro se usum esse identidem commemorat, vir memoria nostra, ut ait, in disciplina Platonica celebratus VII 10, si Herodem Atticum docuit (Philostrat. vitt. Soph. II 1, 34) qui c. 101 natus erat, illo tempore jam senex fuit. (Hieron. ad a. 146: Taurus clarus habetur). Summus igitur Gellium annum fere trigesimum primum agentem Athenis fuisse, i. e. c. a. 161 (Baehrius cum Dodwellio l. l. p. 48 a. 159). Quae sententia eo optime confirmatur, quod Gellius sodales suos Athenienses earundemque disciplinarum sectatores ubique ni fallor tam constanter juvenes appellat II 21, VII 10, XII 5, XV 1, quam se ipsum magistros Romanos frequentantem adolescentem fuisse dicit; Varronem opinor secutus qui apud Censorim. d. n. c. 14 anno trigesimo adolescentiam finire, juventutem incipere dicit. Unde consentaneum est, iter in Graeciam aliquot annorum intervallo distare ab aetate XXV annorum, quam adolescentiam appellat.

Ceterum Baehrius l. l. p. 45 recte observavit, Gellium non plus uno anno Athenis videri commoratum esse; unde Eleusinem VIII 3, Aeginam II 21, Delphos XII 5, Patras XVIII 9 petivit. Ejus anni aestatem commemorat II 21; aestum anni medium XVIII 10; sidus autumnii flagrantissimum I 2; Pythia, quae in Septembrem incidebant (Baehr p. 44 b) XII 5, hiemem XVII 8 et longinquas ejus noctes praef. 4, Saturnalia XVIII 2 et 13. Reditum e Graecia in Italiam ter tangit, et quidem XIX 1 a Cassiope Brundisium se navigasse narrat mari procelloso, Brundisium navem advertisse IX 4; XVI 6.

Vitae suae partem posteriorem quae iter in Graeciam insecuta est, multo rarius tangit Gellius neque ita ut aliqua ejus pars certo tempori assignari possit. Apparet eum uxorem duxisse liberosque procreasse (praef. 1), in foro (XVI 10) arbitriis similibusque negotiis occupatum fuisse (XI 3). A quibus quando otium erat, in eisdem studiis versabatur, nonnumquam in Praenestino recessu (XI 3). Ubi fortasse opicus ille de titulo libri Plutarchei eum percontatus est, quod nuper factum esse dicit XI 16. Atque omnino ad hoc tempus omnia referenda esse viderentur, quae nuper facta esse dicit (ut XIII 31: laudabat venditabatque se quispiam in libraria sedens homo ineptus; XV 4: in sermonibus nuper fuit seniorum hominum et eruditorum cett.; II 24 legi adeo nuper in

Capitonis Atei conjectaneis; nisi quaestiones quasdam Athenis in Saturnalibus nuper tractatas esse diceret; sed quod III 3, 7 nuperrime se Plauti Fretum legisse commemorat, aperte id tempus significat, quo in Noctibus suis componendis occupatus erat.

Tam raro Gellium de aetate sua promotiore loqui, eo magis memorabile est, quod opus suum multis demum annis post reditum e Graecia composuit.

In praefatione quam operi absoluto praemisit, se omnia tempora ad continuandam collectionem collaturum esse dicit, quantum vitae mihi deinceps deum voluntate erit, quantumque a tuenda re familiari procurandoque cultu liberorum meorum dabitur otium. — Progredietur ergo numerus librorum — cum ipsius vitae quantuli quique fuerint progressibus. Quum autem voluminibus XX illo tempore jam ad finem perductis nova non adjecerit, videtur non diu operi suo supervixisse. Etsi autem aliquot annos in compositionem Noctium insumsisse potest (v. Baehrium p. 50), id tamen ex omnibus quae adhuc disputavimus apparet, videri eum aut novissimis M. Antonini temporibus aut Commodo solo imperante scripsisse; sed potest sane etiam Pertinaci discipulo suo apud Sulpicium Apollinarem superstes fuisse.

---

